

locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis praesentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdicatio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis praesentibus et futuris et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent et iurisdicatio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante, praesentibus post decennium minime valituris. Datum Pisis Non. Julii pontificatus nostri anno primo.

Jo. de Cottis.

A. de Baronibus.

P. Negrandi.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 807. 1409. 7. Juli.

*Derselbe ermächtigt den B. Thimo, zum Ersatz der beträchtlichen durch seine persönliche Anwesenheit auf dem Concil zu Pisa für ihn erwachsenen Unkosten und Einbussen von der gesammten Geistlichkeit seiner Diöcese für diesen einen Fall den halben Zehnten aller ihrer Bezüge und Einkünfte zu erheben.*

Alexander episcopus — venerabili fratri Thimoni episcopo Misnensi salutem etc. Personam tuam nobis et apostolicae sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes illa tibi libenter concedimus, quae tuis oportunitatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu in exhibendo te generali concilio noviter in civitate Pisana celebrato magnis et diversis te submiseris oneribus expensarum, et in tui ab ecclesia tua Misnensi absentia non modica pertuleris in rebus et bonis ad ecclesiam eandem spectantibus iacturas et damna, nos tibi in relevamen onerum praedictorum de alicuius subventionis auxilio providere volentes ac attendentes, quod onera in partes divisa facilius perferuntur, quodque sicut accepimus nonnulli ecclesiarum praelati, qui etiam ad huiusmodi concilium declinarunt seu procuratores aut oratores destinarunt eorundem, pro ipsorum sumptibus et oneribus commodius supportandis contributiones et aliqua caritativa subsidia a personis ecclesiasticis suarum civitatum et diocesium hactenus perceperunt, fraternitati tuae a quibuscunque personis ecclesiasticis tam exemptis quam non exemptis secularibus et regularibus in tua praedicta ac aliis tuarum civitatis et diocesis Misnensis ecclesiis beneficia ecclesiastica aut dignitates vel personatus